



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. Ioannis Azorii Lorcitani, Societatis Iesv Presbyteri Theologi, Institutioes Morales**

In Quibus Vnivers[ae] Quaestiones ad Conscientiam recte aut prauè  
factorum pertinentes, breuiter tractantur

**Azor, Juan**

**Coloniae Agrippinae, 1612**

15 Aliae quaestiones de promissione soluuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14014**

istitiae obligationem esse, veluti si promittas Caio decem aureos, ut si tibi certum quendam librum transferisset, & Caius illum transferisset.

Insuper negandum non est ex promissione, quae est stipulatio, iustitiae obligationem existere, ut inferius ostendimus, & id omnes consentiunt, ut si dicat Titius Caio: Promittis nemini dare centum? & Caius respondeat, promitto.

Vis difficultatis eo nititur, quando promissio est solius offerentis pollicitatio, accepta ab eo, cui facta est promissio: de hac enim supra citati Auctores diversa dixerunt. Verum enim vero sicut is, qui depositam pecuniam non servat, vel alteri, quam domino, dat, iustitiae legem perempt: sic is, qui alienus arcanum, cogitatum, sensum & verbum suae fidei commissum non servat, sed alteri dicit, & aperit, iustitiam violat: & ait Sorus *libro de ratione te- gen- di, & detegendi secretum in 2. quaestione 2. conclusio 4.* Item ut ait Cicero *libro primo Officiorum.* (Fides est iustitiae fundamentum, dictorum, conventorumque constantia: ) ergo, qui in promissis fidem non servat, iustitiae fundamentum, quo pacta, & conventa nituntur, evertit. Adde his, quod ex pollicitatione, ut constat ex l. 1. l. *Paulum. l. Propter incendium. & l. Ex pollicitatione,* saepe actio in iudicio datur: ergo in pollicitatione est iustitiae obligatio: alioqui enim leges actionem non darent.

Accedit, quod iustitiae obligatio non videtur neganda in promissione, qua quis promittit alicui, se ei venditurum, vel locaturum domum suam, vel ei donaturum certum librum, vel filiam suam dotaturam. Ad id vero, quod ex S. Thoma obicitur, cum dixit, promissionem obligare ex debito honestatis; respondemus cum non excludere obligationem iustitiae naturalis, sed civilis; quia in iudicio simplex promissio actionem non producit, quia non datur actio adversus promittentem: at quamvis promittens civiliter non obligetur, obligatur tamen naturaliter ex fide data.

Ad aliud ex S. Thoma argumentum respondeo, S. Thomam dixisse eum, qui promissum non solvit, in se delictum agere; sed eo ipso fatemur iustitiam violare: quia fidem datam non servat, nam sunt duae virtutes distinctae: una quidem, à qua homines dicuntur veraces, & haec consistit in dictis, & verbis, ut quis dicat, sicut habet in mente, ut cum quis verè enunciat aliquid fuisse, vel esse, vel fore. Altera vero, à qua homines dicuntur fideles, quae facit, ut quis praestet, quod promittit, & haec est in factis, & conventis, videlicet, ut quis faciat, sicut promittit, & haec est iustitiae pars, & fundamentum pactorum, & contractuum.

Quare duo sunt vitia, unum, à quo homines dicuntur mendaces, quum quis non dicit, sicut mente concepit: alterum vero, à quo quis dicitur infidelis, vel perfidus, cum non facit, sicut promittit, & tunc iustus non est.

Si quaeras, quando aliquis est solum mendax, & quando est infidelis, sive perfidus, eo quod non facit, quod dixit se facturum? Respondeo, quum quis solum enunciat, & dicit eras faciam, & non promittit se eras facturum, si putat se non facturum, mendax est, quia non dicit, ut habet in mente.

Quid si faciat eras? Respondeo, nihilominus eum fuisse mendacem: quamvis futurum verè dixerit, sicut si Titius dicat eras pluet, est mendax, si bona fide credit eras pluviam futuram non esse, etiam si eras te vera pluvia erit. Quid item si dicat Titius: eras faciam, putans bona fide se facturum: sed postea ex accidenti impeditus, eras non faciet? Respondeo, eum non fuisse mendacem, sed falsum bona fide dixisse. At cum Titius promittit Caio, Eras faciam, si non faciat, cum possit, est infidelis, & perfidus, quia fidem datam non implet.

Secundo, obicitur quidam, in promissione iustitiae obligationem esse non posse, quod is, cui promissum est, ius non acquirit in re promissa, sed tantum habet sibi obligatum promittentem. Et id, inquit, patet, quia si ex pro-

missione obligatio iustitiae, veluti ex contractu nascetur, transferretur ad haereditas, & successores, quia ad eos transferretur obligatio quae ex contractu existit: at promissio solum obligat promittentem, non alios, qui nihil promittunt.

Deinde, si promissio iustitiae obligationem produceret, is qui promittit, semper esset alteri obligatus, quavis auctoritate legitima superioris promissionis vinculo solveretur. Quod admodum si quis contraxit, & contractum iureiurando firmavit, tenetur alteri ex contractu, licet is legitime sit facti mentis religione absolutus.

Postremo, si ex iustitia alteri obligatur, debet restituere, quod ei debitum est: & quamvis peccatum sit promissum non solvere, non tamen vili est obligatio restituendi, alioqui enim, & reddere cogere, precium rei promissae, vel aliam rem aequae bonam, ac res promissa.

Si dicamus illis, is qui promittit, debet promissum implere, ergo restituere compellitur? Respondent adversarii, obligationem exolvendi promissum non esse obligationem restituendi, sed praestandi, quod est promissum: quae obligatio est fidei data ei, cui est promissum, non autem iustitiae. Sunt enim, inquit, multae obligationes faciendi, vel dandi aliquid, quae non ex iustitia, sed ex alius virtutibus veniunt, ut dives debet eleemosynam egeni dare lege misericordiae, pater debet filiis alimenta lege pietatis: qui votum Deo fecit, ut religionis, cogitur votum implere, lege charitatis saepe compellitur alius benefacere: ex debito obedientiae superiorum nulli exequimur, & obimus. Sic etiam is, qui simpliciter promittit, cogitur secundum conscientiam promissum exolvere, ut si dem datam servet, id est, ut sit in eo, quod promittit, fidelis, & verax, non autem iustus.

Verum, inquit, secus est, si simplex promissio non sit, sed promissio ex causa: tunc enim causa consequitur lege iustitiae promissum exolvitur, veluti si promittas Titio, Si in Capitolium ascenderis, dabo tibi decem aureos. Si Titius in Capitolium ascenderit, debes ex iustitia decem aureos, quia non est nuda, & simplex promissio, sed ex causa, & conditione, quae insequuta est.

Hinc est, ut, si juvenis promittat puellae eam se ducturum in uxorem, si cognosci se ab eo sinat, & deinde eam cognoscat, ex iustitia debet eam ducere uxorem, quia promittit ex causa, & causa est sequuta. At si tantum absolute, & simpliciter promittit, cogitur eam ducere uxorem ex fide data, non ex iustitia.

Item si juvenis promittat puellae, se eam ducturum uxorem, dammodo ea etiam promittat se nupturam ei, contractus est sponsalium, & proinde obligat ex iustitia, quia est contractus: Facio, ut facias.

Ceterum his argumentis nihil concluditur, quia satis est, si promissionem acceptam & ratam habeat is, cui est promissum aliquid: nam eo ipso ut iustitiae naturalis, quamvis non civilis, fidem datam servare compellimur. Item promissio data, & accepta ab eo, cui est talis iustitia, ut solum promittentem obliget, quamvis civilis iustitia astringat non solum promittentes, sed etiam haereditas sive successores.

#### Alia quaestiones de promissione solvuntur.

#### CAPUT XV.

PRIMO quaeritur, An promissio, quae sola cogitatione mentis fit homini, obliget e iure naturali promittentem, hoc est, An qui promittit alteri, ex ea promissione obligetur naturaliter, quamvis non civiliter illi, si mente solum promiserit. Sorus *lib. 4. de iustitia, quaestio 5. art. 1. ad 1. & lib. 7. quaestio 2. art. 1. ad 1.* tamquam dubiam quaestionem reliquit, An promissio interna homini facta, obliget conscientiam eius, qui promittit? Sed tan-

quam



quam probabilis putavit, eam promissionem, minime conscientiam obligare.

Quidam iuniores, vt Aragonius *secunda. secund. quaestio. 2. articulo. 3.* probabilem putant hanc Soti sententiam, tamen oppositam probabilior esse arbitrentur. Ledesma *in quarto. part. 2. quaestio. 18. articulo. 1. dub. 3.* probabile censet, eiusmodi promissionem, vim habere obligandi; fateatur tamen, vt etiam debet fatei, per talem promissionem non transferri dominium rei promissae, nec iniri contractum civilem; sed solum oriri obligationem, qua is, qui promittit, naturaliter alteri obligatur: Idque conatur, ut, quae subiiciam argumentis ostendere.

Primo, Omnis, inquit, promissio exterior habet vim suam obligandi ex interiori promissione, ergo magis obligat interior promissio promittentem.

Deinde, quia votum Deo factum interno mentis proposito obligat vouentem, ergo & promissio homini facta, tamen verbis minime expressa, obligat.

Tertio, quia solo animo, & voluntate possumus rei possessionem amittere. *L. 1. §. Si vir. C. l. Possid. §. In amittendo, ff. De acquiren. possess.*

Item sola animi voluntate potest quis rei dominium amittere, & iterum acquirere; veluti si Titius rem suam animo, & voluntate pro derelicta habeat, & iterum eam pro sua retineat, antequam eius possessionem alius adeptus fuerit. *L. 1. C. 2. ff. Pro derelicto C. l. Institut. de rerum diuis. §. vlt.*

Quarto, quia obligationes, & pacta ex consensu existunt, & pendunt, immo sunt quatuor contractus, qui solo consensu complentur, Emptum scilicet, Locatum, Societas, Mandatum.

Quinto, quia *Institutione de verum diuis. §. Per traditionem*, habetur. (Nihil tam conueniens naturali aequitati, quam voluntatem Domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi.)

Postremo, quia vox solum declarat obligationem, non facit.

Sed in hac re dicendum est, Primo, conuenire inter omnes contractus, qui hinc, & inde obligationem producant, non obligare, nisi internus mentis consensus verbis, vel nutibus, aut signis declaratur: quia in hisce contractibus illi continentur: Do, vt des. Do, vt facias. Facio, vt des. Facio, vt facias. Promitto, vt promittas.

Secundo, vt promissionem mentis, nisi verbis, nutibus, vel signis exprimat, non obligat conscientiam; quia homo non se obligat alteri homini, nisi more hominum; & homines, nisi internum mentis consensum verbo, nutu, vel signo declarent, & expriment, non se obligant, & obstringunt. Non enim homines inter se viuunt, aut agunt internis tantum consensibus, qui sua natura latent; neque exerunt sese. Hinc est, vt sponsalia, quae sunt futuri coniugii promissio, non contrahantur solo mentis consensu; nec quisquam solo animo, & voluntate, rei suae dominium ad alterum transfert, nisi suum animum prius, & voluntatem deponat; & superior inferiori sibi subiectum iussu, & impetu solum interno non obligat, nisi in aliquo modo denunciet.

Dices, his argumentis solum probati, ex promissione mentis interna non produci contractum, vel quasi contractum; nec ullam civilem obligationem; & nihilominus existere obligationem, qua naturaliter promittens tenetur ei, cui promittit.

Contra est, quia is, qui promittit, naturaliter obligatur ei, cui promittit: ergo is, cui promissio mentis interna fit, habet sibi naturaliter obligatum promittentem, ac ideo consequens est, vt possit naturaliter petere promissum sibi debitum: at non potest, quia omnino naturaliter ignotum est promissum, & tale debitum: ergo frustra est talis obligatio naturaliter producta, atque natura nihil frustra operatur, & frustra est promissio, & obligatio, quae naturaliter compleri non potest, nisi innotecat ea, & denuncietur ei.

Accedit, quod si promissio obliget penitentem ei, cui fit promissio, ergo ipsi dat naturaliter ei, cui est promissum, aliquid iuris, quo possit naturaliter exigere, quod sibi debetur: nam eo ipso, quo obligat promittentem, necessario dat ei, cui promissum est, ius exigendi promissum: alioquin si non det, frustra obligat promittentem; at promissio mentis interna, naturaliter latet eum, cui promissum est, ergo nihil iuris dat illi in promittentem. Omnis enim obligatio aliquem obligans, acquiritur alicui: sed per solam mentis promissionem, homini obligatio acquiri non potest. Item S. Thomas *in 2. 2. quaestio. 88. articulo. sic ait*: Promissio, quae ab homine fit, homini non potest fieri, nisi per verba, vel alia quaecumque exteriora signa: Deo autem potest fieri promissio per solum interiore mentis actum; quia, vt dicitur *2. Reg. 16.* (Homines vident, quae apparent: sed Deus intuetur cor.) Idem docet *in quarto distict. 38. quaestio. 1. articulo. 1.* his verbis: (Voluntate non potest quis obligari, nisi ei, qui voluntatis est cognitior, quod solus Dei est.) Et paulo post: (Obligatio autem homini exterior fit, verbo exteriori expresso. Sic etiam Almatius *in quarto distict. 15. quaestio. 2.* & testatur Salon *2. 2. quaestio. 61. articulo. 3. quaestio. 5. De dominio. articulo. 2.* a sententia Soti omnes recentiores scriptores plinum recedere.)

Obiicit eum Ledesma, quamuis interna mentis promissio non obliget promittentem ad faciendum, vel dandum, quod promittitur; videtur tamen obligare ad declarandum, & indicandam ei, cui promittit, ipsam promissionem mente factam. Ita Sotus, & Ledesma *in locis supradictis*. Respondeo, talem promissionem nullam obligationem producere: quia homo homini solo animo, & voluntate minime obligatur. Nam si promittens obligatur ad declarandum ei, cui promittit, animum, & voluntatem: ergo is, cui facta est promissio, naturale ius habet exigendi, vt promittens declaret, & indicet animum suum, quod est absurdum.

Ad argumenta vero nobis opposita respondemus, ad Primum, duo requiri in promissione, vt obliget promittentem; Mentis videlicet consensum, & verba, vel nutus, & signa loco verborum. Obligatur itaque vnus alteri ex consensu verbis expresso, vel ex verbis, quae expriment animi consensum.

Ad secundum: Nego idem esse iuris de promissione homini facta, quod de voto: quia vota Deo fiunt, cui patet cor, & animus vouentis, & totus voluntatis consensus; & proinde Deo votum, quod ipsi est notum, ratum, & acceptum habet, & illud exigit, quod illi vouetur, tanquam ipsi debitum, & promissum. At hominem latet omnino noster animi consensus; ac ideo nec ratum, nec acceptum habet, nisi verbis exprimat: nec potest petere ab eo, qui promissit, vt sibi promissum soluat, vel indicet, & aperiat, quia nihil nouit, sed scire potest.

Ad tertium, Tamen aliquis solo animo, & voluntate, sui rei dominium deponere queat, & rursus acquirere; nequit tamen ad alterum transfere. Nec quatuor illi contractus superius nominati, solo consensu sine verbis perficiuntur; dicuntur vero solo consensu constare, quia sine traditione rei, sine scripto, sine certa verborum praesentiorum formula consensum non tenentur, nisi signis expresso.

Soluitur vltimum argumentum, dicendo, voces expricare quidem cogitationis, atque animi sentia, sed nihil minus tamen iudicare, & denotare voluntatis consensum: quae denuntiano requiruntur in obligatione, qua vnus alteri deuincitur: quemadmodum etiam lex superioris, nisi inferiori denuncietur, illum non obligat.

Quid dicendum, si nuda ipsius mentis promissio, voto, vel iuramento consistat, tunc ne ille obligat conscientiam? Obligat sane, sed ratione voti, vel iuramenti, quibus Deo aliquid obligatur: praeterea vero quae ratio nostra solum est de promissione simplici, mente concepta.

Quid idem, si is, qui promissit Caio centum, dixerit Caio: Ego interna mentis conceptione promisi tibi



centum, & Caius respondeat: Ego acceptum habeo promissum obligat ne promittentem: intenus facta promissio? Obligat quidem illa, si tunc promittens suam promissionem internam continuat, tunc enim promittit non animo, & voluntate solum, sed etiam ore, & verbo. Secus verò est, cum eam promissionem non confirmat ore, & verbis, nam tunc temporis solum est interna promissio.

Secundo quæritur, An promissio facta præsentibus obliget promittentem, antequam is, cui aliquid promissum est, ratam, & acceptam habeat ipsam promissionem? Respondeo, sensum quæstionis duplicem esse posse, videlicet, An obliget civiliter, aut naturaliter; Item, an obliget ita, ut statim promissio perfecta censetur, quatenus actum ad promittentem, hoc est, An promittens ita obligatus sit, ut à promissione recedere nequeat, donec is, cui facta est promissio, vel acceptam habeat, si velit, vel negligat; An verò possit à arbitrio suo voluntatem mutare? Solutus, lib. 4. de iustitia, quæst. 3. art. 1. ad 1. videtur negare, promissionem obligare promittentem, antequam acceptam habeat, cui facta est; quia dare refertur ad accipientem, ergo ubi non est acceptio, non est datio.

Ego in primis dicendum existimo, si promissio fiat præsentibus, qui naturaliter consensum præbere non possunt, non obligat promittentem civiliter, aut naturaliter, veluti si facta sit infanti, vel meate capro, vel furioso, vel furdo, qui nihil profus audire naturaliter potest: quia promissio tacita conditione, ut is, cui promissum est, consentiat, vel dissentiat.

Secundo, si promissio fiat præsentibus, qui potest naturaliter audire, & consentire, civiliter non obligat promittentem, antequam is, cui facta est talis promissio, acceptam habeat: ut colligi potest ex l. 1. §. Si quis ita interrogat. ff. De verborum obligat. Et l. Absenti ff. De donat. obligat tamen naturaliter promittentem, ita ut ab ea promissione recedere nequeat, antequam is, cui facta est, vel consensum præstet, vel præstare recuset; quia quod spectat ad promittentem, promissio facta censetur. Item, quia idem iuris est in eo, qui donat alteri; in eo videm, qui alterum eligat ad beneficium Ecclesiasticum, vel officium, vel nominat, & offert.

Accedit argumentum à simili ductum, ex eo, quod habetur in cap. Si tibi absenti de præben. in Sexto, ubi dicitur: (si tibi absenti per tuum Episcopum conferatur beneficium: licet per collationem huiusmodi, donec eam ratam habeat, in ipso beneficio, ut tuum dici valeat, non acquiritur,) & reliq.

Postremo, quia, ut dixi superius, promissio differt à pacto, quod in promissione est solus offerentis promissum: vade promissio, in qua est etiam consensus eius, cui est promissum, in pacti vim, & naturam transt.

Quæres, an promissio facta præsentibus, & tacenti, obliget promittentem, ita ut ab ea recedere non possit? Respondeo, civiliter quidem non obligare, sed naturaliter: primum patet: quia nuda, & simplex promissio, ut dixi superius, civilem obligationem non producit. Secundum verò ex eo probatur; quia is, qui loqui potest commode, & tacet, consentite videtur in his, quæ sibi sunt vilia, commoda, & salutaria. c. Qui tacet, de regul. iur. in Sexto. Et l. Qui tacet. ff. De reg. iur.

Obiicit ex l. 1. §. Si quis, ita interrogat. ff. De verborum oblig. Si quis ita interrogat, Dabit? & responderit, Qui dicit is vique in ea causa est, ut obligetur: contra, si sine verbis annuisset: non tantum autem civiliter, sed nec naturaliter obligatur, qui ita annuit. Respondeo, hoc in ea lege dici de promissione per stipulationem facta: stipulatio autem consistit in interrogatione, & responsione, certis verbis concepta. Voluit autem ius civile, ut sine verbis nulla obligatio ex stipulatione nasceretur.

Ex quo colligitur, ut si quis promittat alteri rem suam, nequeat eam alteri dare, vel promittere, vel obligare, antequam is, cui primum promissa est, consentiat, vel dissentiat.

Tertio quæritur, An promissio facta absenti, statim perfecta censetur, ita ut obliget promittentem, ne possit à promissione recedere, antequam is, qui absens est, certior factus sit? Respondeo, quinque modis posse aliquid absenti promitti.

Primo, ut si tu, cum solus sis, aliquid promittas Titio absenti.

Secundo, ut si promittas coram Caio centum Titio absenti, ita ut verba ad Caium non referas, sed ad Titium absentem.

Tertio, ut si promittas centum Caio præsentibus, nomine Titii absentis.

Quarto, veluti si promittas Caio præsentibus se daturum Titio centum. V. g. Si dicas, promitto tibi Caio, me daturum centum Titio.

Quinto, si per epistolam, vel nuncium promittas Titio. Si primo, vel secundo modo promissio fiat, nulla est obligatio, teste Panormitano in Proemio Decretalium parte 1. num. 25. nec civilis, quia vni per alterum non acquiritur obligatio. Institu. de inutilibus stipul. §. Si quis alii, Et §. Alteri, Et l. Stipulatio ista, §. Alteri ff. de verborum obligat. exceptis iis causis, quas numerat Glossa in §. Alteri, nuper allato. Non naturalis, quia obligatio acquiritur absenti non potest, cum non subit eius consensus, nisi alius adsit, qui nomine ipsius consensum præstet: absenti enim nihil acquiritur, nisi in causis scripto exceptis, ut constat ex l. Absenti ff. de donat. Et l. Qui absenti, ff. De acquiren. possess. Et cap. Si tibi absenti, in Sexto. De præb. Unde qui hoc modo promittit absenti, potest voluntatem mutare, & à promissione recedere, ut Panormitanus ait; At Couarruias in Relect. super cap. Quamuis pactum, de pactis in Sexto, par. 2. §. 4. num. 16. sentit, promittentem absenti, naturaliter obligari, donec absens obligationem expresse, vel tacite remiserit, & hoc videtur valde probabile, ubi ius civile nihil impediit.

Sexto modo fiat promissio, tunc in quibusdam causis iure Canonico & Civili non solum statim naturaliter obligat promittentem, sed etiam perfecta censetur, ita ut det actionem absenti, qua possit in promittentem civiliter agere: filius enim potest consensum præbere nomine patris, & servus nomine sui Domini, etiam si in l. 2. sit constitutus. l. 1. §. Per servum ff. De acquiren. possess. Tutor nomine pupilli, curator in minoribus, Monachus sui Monasterii nomine, Glossa in cap. 1. De infantibus, Et languis Innocentius in cap. Cum olim de privileg. Petrus nomine sue Ecclesie, & Papa nomine cuiuslibet Ecclesie, & Imperator cuiuslibet primi hominis suo Imperio subiecti. Abbas in proemio Decretalium, par. 1. num. 22. Procurator idem, vel administrator, nomine eius, cuius bona procurat, vel administrat. Glossa in Institu. De inutilibus stipula. §. Si quis alii: Et tabellio. Glossa in §. Alteri Institu. De inutilibus stipul. Bart. in l. 2. ff. Rempub. sub fore. quam opinionem cum munem esse testatur Abbas in loco citato.

Si quarto modo promissio fiat, nulla obligatio civilis acquiritur: quia non acquiritur Caio præsentibus: nam et si in eum promissionis verba dirigis, nihil tamen promittis causa ipsius: non Tito absenti; quia absenti, ut dixi, nulla obligatio civilis acquiritur, exceptis quibusdam causis, quas superius enumeravi; & Caius, in quem verba promissionis referuntur, non potest Tito absenti obligationem acquirere.

Sed dubiæ quæstionis est, An vlla naturalis obligatio nascatur, qua obligetis Caio præsentibus, causa Titii absentis. Abbas loco citato convenienter suæ sententiæ dicit non produci obligationem naturalem; quia est facta promissio Caio quidem præsentibus, sed causa Titii absentis, & absenti obligatio civilis, aut naturalis non acquiritur. Ad secundum Couarruiaz opinionem, oritur obligatio naturalis, qua obligat Caio præsentibus, non quidem gratia ipsius, sed Titii absentis; quoniam, ut dixi, naturaliter obligamur, ita ut voluntatem mutare nequeamus, donec

absens



absens expresse, vel tacite obligationem renunciet.

Si promissio fiat quinto modo, tunc iure civili acquiritur obligatio Titio absenti, statim, vt per epistolam, vel nuncium certior factus, ratum, & acceptum promissum habuerit, antea vero non item: sed qui promittit, mutare interim voluntatem non potest. Hæc patet ex l. *Qui absenti ff. De acquiren. poss. s. vbi habetur: (Qui absenti scribit, vt in libertate moretur, non eam mentem habet, vt statim velit serui possessionem amittere, sed magis destinationem suam in id tempus confert, quo seruus certior factus fuerit.) Et l. Absenti. ff. De donationi. (Absenti, siue mutas qui ferat, siue, quod ipse habeat, siue cum habere iubeas, donati recte potest.) Idem colligitur ex cap. *Si tibi absenti. de præben. in sexto.**

Sciendum autem est, statuto posse constitti, vt promissio absenti facta coram vno, vel duobus valeat: immo etiam, vt valeat, quatenus attinet ad promittentem, qui se sua sponte obligauit, donec absens obligationem remittat.

Quarto quaeritur, An iure civili, vel canonico ex promissione absenti facta, vlla actio detur? Panormitanus in *Proemio Decretali. loco citato.* Felinus *ibidem*, & alii negant vllam actionem inde oriri; quia etiam donatio absenti non parit vllam actionem, vt colligitur ex cap. *Si tibi absenti. de præben. in sexto. Et ex l. Absenti. ff. De donat. Et l. Qui absenti ff. de Acquiren. poss.*

Porro, si promissio absenti facta fuerit, vel voto, vel iuramentum firmata, tunc actionem producit, non quidem quatenus est promissio, sed quatenus iuramentum, vel voto confirmata: vt si tu voueas, vel iures te datum centum Titio absenti, obligatis ad præstandum id, quod promissisti, quia votum & iusiurandum fertur in Deum: iurasti enim Deo, vel vouisti te centum Titio absenti daturum. Abbas, & Felinus in *Proemio Decretalium, Glossa. Antonius Imola Lason. Et alii apud Couarruuiam in Relect. super cap. Quamuis pactum, de pactis in sexto, part. 2. §. 4. num. 14.*

Quinto quaeritur, An ex simplici promissione, postquam eam iam ratam, & acceptam habetis, cui aliquid est promissum, actio oriatur, qua aduersus promittentem agi possit, qua videlicet is, cui promissio facta est, possit in iudicio petere, quod est sibi promissum? Respondeo, in primis iure civili nullam actionem oriri, vt colligitur ex l. *Iuris gentium §. Sed eum nulla. §. Quinimo. ff. De pactis. vbi dicitur: (Nuda pactio obligationem non parit, sed parit exceptionem.)*

Sed cur iure civili nulla actio acquiritur ei cui promissum est? Si quidem is, qui promittit, se naturaliter obligat. Respondeo, in iudicio non posse probari factam esse simplicem promissionem, cum nec testes sint adhibiti, nec vllum instrumentum confectum, & ideo ius civile legem non continet, qua aduersus promittentem agi possit. In iudicio itidem simplex promissio cum facta non sit ex causa, sed tantum liberaliter, potius creditur temere, & inconsiderate, quam prudenter, & consulto facta.

In dubium autem vocatur, An saltem iure canonico simplex promissio actionem pariat? Innocentius in cap. *Nemo, de iudicis*, negat ex tali promissione actionem nasci; sed solum ius existere, quo is, cui promissum est, implorare queat officium Iudicis, vt cogat promittentem promissum exoluere. Hostien. Ioan. Andreas. Antonius, & Panormitanus, vt testantur Angelus in verbo, *Pactum, num. 5.* & Siluester eodem verbo, *question. 3.* putauerunt ex simplici promissione actionem oriri: quod etiam sensu Glossa in cap. *Iuramenti 22. question. 5. Et cap. Quicunque suffragio 12. question. vbi dicit dari actionem ex Canone contra simplicem promittentem, & alia Glossa in cap. 1. De pactis. Et Archiepiscopus cum aliis multis apud Couarruuiam in *Relectione supra posita, part. 2. §. 4. num. 14. Et 15.* quam sententiam sequitur Nauarrus in *Manuali, cap. 13. num. 7.**

Si roges, cur iure canonico, ea promissio actionem pariat, & non iure civili? Respondeo, promissione simplici promittentem iure naturali obligari, cui promittitur: & ideo in culpa est, si promissum non implet. Videtur quia ius canonicum curat, ne peccata committantur, dat actionem ei, cui promissum est, aduersus eum, qui promissit: vult enim ius Canonicum, vt feruet quisque iudem alteri datam, ne aliqui peccet; ac ius civile non est, nisi ea potissimum peccata prohibere, & impedire, quæ pacem hominum turbant, societatem diuimunt, iustitiam perfingunt.

Sexto quaeritur, An sint aliqua causa, in quibus iure quoque civili ex simplici promissione actio producat? Respondeo, aliquas esse.

Prima, est quando quis civitati pollicetur se aliquid facturum, quod in se recepit, vt faceret: tunc enim datur actio aduersus eum, vt præster, quod promissit civitati, l. 1. ff. *De pollicit.*

Secunda, cum quis promissit civitati propter incendium, vel terræ motum, vel ruinam, eadem lege 1. Et l. *Propter incendium ff. eod. tit.*

Tertia causa est, quando quis pollicetur civitati, se cepit facere, quod promissit, cogitur perficere, eadem l. 1. ff. *De pollicitat.* Veluti, si fundamenta, vt ibidem dicitur, iocit quis, postquam pollicitus est civitati: si locum purgauerit, si ei petenti locus æstimatus est: si apparatus, siue impensam in publico posuit: si cum pecuniâ Reipublicæ promissit se daturum ad opus, ipsa Reipublica, contemplatione pecuniæ promissit, cepit opus facere.

Quarta, cum quis pollicetur Ecclesie, vel Collegio, aut Seminatio causâ communis pietatis extructo, aliquid se facturum, daturum ve, cogitur præstare promissum, l. *Nullus C. de sacrosan. Eccles.*

Quinta, si quis ipse sua, voto facto Deo, promittit aliquid pauperibus, compellitur ipso iure impleere promissum. l. *Si quis rem ff. de pollicit.*

Ultima causa est, quom quis pollicetur alteri, expresse, & declarata causa, vt puta; quia ab eo beneficium aliquid acceperit, veluti, mutuum pecuniarum, vel rem commodatam, iure canonico obligatur ad soluendum promissum, vt dixi.

Septimo quaeritur, An qui promittit alicui sine animo, & voluntate obligandi se, eo ipso, quod sciens, & prudens promittit, secundum conscientiam obligetur ad promissum præstandum?

Dux sunt opiniones, vna est asserentium eum obligatum esse: quam sequitur Caietanus in 2. 2. *question. 88. art. 2.* & Sotus lib. 7. de *Iustitia, question. 1. art. 1.* Eam probant, quia is, qui vere promittit, animo sciens, & voluntate promittendi, eo ipso se obligat ei, cui promittit; quia obligatio ex promissione nascitur, tamquam effectus ex causa. Secus esset, si quis promitteret absque voluntate obligandi.

Alter opinio est, talem promittentem non esse obligatum. Angelus in verbo, *Pactum, num. 4.* Siluester eodem verbo, *question. 4.* Tabernus; & Armilla in eodem verbo, *num. 2.* Nauarrus, in *Manuali, cap. 12. num. 7.* Id autem confirmant ex l. *Obligationem 1. ff. De actionibus. Et obligat. & ex 3. Thom. 2. 2. question. 110. art. 3. ad quartum, & ex Riccardo in quarto, question. 38. art. 3. ad tertium.* Deinde ratione idem suadent, quia si Princeps legem ferret absque animo, & voluntate obligandi populum nisi subiectum, ea lex non obligat conscientiam subditorum: ergo si quis promissionem faciat non habens in animo se obligare, eo ipso obligatus non est, quia nemo se obligat non volens.

Dices, is, qui promittit, eo ipso se obligat; quia promissio sua natura parit obligationem. Respondet Angelus, & Siluester, talem promissionem fieri nomine tenus, non re: quemadmodum nomine, non re est lex, quam Princeps condit, qua non habet in animo obligare sibi subditos.



Ad huius quaestiones solutionem, in primis dicendum videtur, si is, qui promittit, reuera contrariam voluntatem habet, videlicet non se obligandi, probabile est, ex tali promissione obligationem non gigni: quia nemo, ut paulo ante diximus, se obligat alteri nolens se obligare: & hoc est, quod Angelus, & Siluester, & Nauarrus dicere videntur.

Si autem is, qui promittit, nihil cogitat de obligatione, habens in animo verè promittere, eo ipso videtur se obstringere ei, cui promittit; quia ex ipsa promissione verè facta obligatio nascitur, quando in promittente contraria voluntas non adest; & hoc est, quod Caietanus, Sotus tradiderunt.

Octauò quaeritur, An si quis promiserit animo, & voluntate facta, hoc est, habens in animo non promittere, obligetur secundum conscientiam ad promissum complendum? Respondeo, vi quidem, & natura ipsius promissionis, eum non esse obligatum; sed aliunde tamen, videlicet, ex dolo, & culpa, & damno dato, sequitur.

Ratio primi est, quia promissio facta, & simulata, verè promissio non est.

Ratio vero secundi est; quia quisque tenetur alteri ex dolo, fraude, iniuria, & damno. Hinc est, vt si iuuenis promittat puellae, sibi vitæ conditione pari, se eam vxorem duciturum, si sinat se ab ipso cognosci, debeat eam vxor ducere, si cognouerit, quamvis promiserit non habens in animo eam ducere in matrimonium; quia promissio est facta ob causam, & causa sequuta est; & ideo fuit contractus inter iuuenem, & puellam, hic nempe, Faciam, si feceris; in contractu vero is, qui dolose facit, debet itate conuentis. Quod si puella sua culpa decepta est, nimirum; quia facile potuit animaduertere, fictam esse promissionem; tunc ius non habet aduersus eum, qui promissit, quia scienti, & volenti non fit iniuria.

#### Alia quaestiones de promissione soluuntur.

##### CAPVT XVI.

**P**rimo quaeritur, An promissio vsuratum soluendarum, facta vsurario, vllam producat obligationem.

De hac quaestione Glossa, Panormitanus, & ceteri, in cap. *Debitores de iureiurando*, Angelus in verbo *Obligatio*, Num. 18. Siluester in verbo *Obligatio*, q. 4.

Certi ius est, promittentem vsuras, minime obligari vsurario, sic enim dicitur in cap. *Debitores, de iureiurando*. Debitores, inquit Alexander 3. ad soluendas vsuras, in quibus se obligauerunt, cogi non debent. Item in l. 1. ff. *De condit. ob turpem causam*, Paul. ait: (Quod si turpis causa accipientis fuerit, repeti potest.)

Dubium verò quaestio est, an nò solum iure Canonico, & Ciuili talis promissio sit irrita, & inanis, sed etiam iure naturali? Ratio dubitandi est, quoniam quidam fatentur, eiusmodi promissionem iure Canonico, & Ciuili irritam esse, sed iure tamen naturali ratam, & firmam, hoc est, remoto quolibet iure scripto, valere: quia is, qui promittit vsuras, non peccat promittendo, sicut nec peccat soluendo postea.

Deinde, quia quamvis necessitate quadam promittat, eo quod mutua pecuniam non acciperet ab vsurario, nisi promitteret se soluturum vsuras, nihilominus tamen simpliciter voluntaria est talis promissio, ergo obligat promittentem.

Communis est opinio, vt colligitur ex Panor. Angel. & Sil. *locis supra citatis*, talem promissionem, etiam iure naturali, nullius esse momenti. Et ratio huius est; quia promissio per se, & natura sua, est gratuita, & liberalis, hoc est, gratis, & liberaliter, facta: at promissio, qua quis promittit alicui vsuras, non fit gratis, & liberaliter, sed necessita-

te; quia aliter vsurarius dare mutuum, quod petitur, recusat, ergo talis promissio per se, & natura sua non valet. Nam quemadmodum si quippiam des ex causa, vel necessitate, donatio esse non potest; quia per se fieri gratis, & liberaliter debet. l. 1. & l. *donari*, ff. *de donat.* sic etiam eo ipso, quod aliquid offertur ex causa vel necessitate, talis oblatio iam definit esse promissio.

Secundò quaeritur, An promissio facta vsurario, confirmetur iureiurando? In cap. *Debitores, de iureiurando* sic ait Pontifex: (Si vero de ista solutione iurauerint, cogendi sunt reddere iuramentum: & cum vsuræ solutæ fuerint, ad eas restituendas sunt Ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, compellendi.)

Ex quibus verbis liquido apparet, talem promissionem iureiurando firmatam obligate promittentem: & ideo si promissum non soluerit, erit perurus: solutas tamen vsuras potest repetere officio Iudicis Ecclesiastici, & vsurarius iure naturali cogitur eas restituere, quoniam nullo iure eas retinere sibi potest: non quidem iure donationis: quia hæc sua natura fit gratis, & liberaliter, non ex causa, & iure cogente. l. 1. & l. *Donari*, ff. *De don.* Non ratione mutui: quia ex mutuo tantum debetur, quantum est acceptum, non amplius. Officio itidem iudicis Ecclesiastici compelli potest vsurarius ad vsuras reddendas. Quod si is, qui promissit vsuras, eas non soluerit, eius hæres vt iusiurandi non cogitur promissum præstare; quia iusiurandum iurantem solum, non ipsius hæredem obligauit. Atq; hæc quidem est communis opinio.

Et tamen difficultas, quo pacto talis promissio iurata promittentem teneat; cum tamen sine vilo iureiurando facta non valeat. Nam is, qui confirmat datum, ideo confirmare dicitur; quia quod datum fuerat, ratū habet: quare si nihil datum esset, nihil confirmaret: sed talis promissio, vt dixi, etiam natura sua est irrita, ergo iureiurando non confirmatur; quia iusiurandum non videtur confirmare id, quod sua natura nullius est momenti. Item in cap. *Accessorium, de reg. iur.* in 6. dicitur: (Accessorium sequitur naturam principalis: at promissio sua natura non valet, ergo iusiurandum, quod ad promissionem accedit, necesse est, vt sequatur naturam promissionis; ac proinde, vt non valeat: quemadmodum, nec valet ipsa promissio.)

Tertiò, in cap. *iuramenti* 22. *quæst. 5.* habetur sic: (Deus inter iuramentum,) & simplicem loquelam differentiam non facit: ergo sicut promissio vim non habet, ita nec iusiurandum promissioni coniunctum.

Dicendum est cum Panorm. & alijs, in cap. *Debitores, de iureiurando*, & Angel. & Sil. in *locis praallegatis*, in tali promissione iurata promittentem duplici vinculo teneri, & obstringi, videlicet vsurario, cui promissit se soluturum vsuras; & Deo, quem in testem suæ promissionis aduocauit, & quasi fideiussorem dedit: & ideo si promissum non præstet, religionis vinculum soluit, quo se Deo obligauit. Hinc est, vt nihil mirum sit, si promissio simplex non valeat, & valeat iurata: quia quamdiu iurata non est, vim non habet, nisi simplicis promissionis. Et quia est contra substantiam promissionis, vt fiat ex causa, & necessitate, ideo promissio simplex natura sua obligationem non parit; at verò quando est iurata nouum religionis vinculum cõtinet, quo qui promittit iurando, se Deo obstringit, ne fidẽ datam violet. Promissio ergo iureiurando confirmata, vim habet ex nouo religionis vinculo, quod non habebat ex simplici fide vsurario data.

Ex his patet responsio ad argumenta. Promissio ex iureiurando adhibito, obligat nos promittentes vinculo religionis, qua Deum in testem nostræ promissionis adhibebimus: quare promissio iurata ex vno capite non obligat promittentem, ex alio vero capite obligat, & hoc est, quod dicitur, Promissionem factam vsurario, iureiurando confirmari. Ad secundum, iusiurandum quamuis ad promissionem accedat, non tamen esse irritum, quamuis per se sit irrita nuda promissio: quoniam iusiurandum per se, & natura sua obligationem producit, quando cumq; res, quæ